

Yd  
28

Walther  
Mons. Calvariae

R. K. 13



R. N. 136, 38.

Yd  
28

MONS CALVARIÆ

PROPE MVROS

MAGDEBVRGI,

EX

ANTIQVITATE ERVTVS

A

SAMVELE WALTHERO, R.

MAGDEBVRGI

LITTERIS GODOFREDI VETTERI clb lccc xxxvii.

11. 723.



MONS CHIVALLIER

MADONNET

SAINT-GERMAIN

LE COMTE DE SAINT-GERMAIN





§. I.

**P**acem Dei petere precationibus ut semper Christianorum est: ita hoc maxime tempore publica pietas & religio suadet, quo memoria dolorum & cruciatuum Servatoris nostri renovatur. Qua in re dulce est, sanctissima mente videre JESUM Solymæ vadimonium obeuntem, lucta omnium gravissima in horto contendentem, in prætorio Pilati fannas vulneraque nostra causâ suscipientem; immo longe dulcissimum, prosequi ipsum ad locum supplicii, defixum esse in hostia pro universo hominum genere sacrificata, amplecti crucem certissimum gloriæ nostræ documentum, haurire fontem veræ salutis, unde uberrimus vitæ sanctioris fructus certo expectatur & præclare exhibetur. Hæc spectare, eo contendere, neque a Jesu ita agente divelli, præclarum est negotium, salutiferum iter, fructuosus comitatus. Hos in pietate oculos, hos pedes manusque omnino requirit vera religio, & quicquid viæ itinerisque mente animoque concepti potest suscipi, probat non solum, sed etiam ea, qua decet, laude cohonestat.

§. II.

Præclarum, inquam, est, si mente hæc suscipiantur, & intra animum fiant, duce Jesu, comite voluntate. Alio enim modo qui talem emetiuntur viam, incassum laborant, & præcipiti gradu lapsi pedibus non eunt in sententiam Servatoris. Circuire igitur & hinc inde commearere religionis causa, error est, & sædæ præ se fert indolem superstitionis. Condidit jam vetus barbaria LVSTRVM, 1) hac lege, ut qui lustrarentur criminum expiandorum causa, etiam in publicum procederent, & ob Deorum locorumque consecratorum multitudinem hinc inde vagarentur, tanto quidem impetu, ut, quemadmodum, Poeta canente

*Virginibus bacchata Læcænis Taygeta, 2)*

ita etiam compita, viæ, templa omnia inepto hoc ritu fremerent. Hinc Saturnalia & quicquid horum est simile, Cereris sacra, Amburvalia, Lupercorum saltatio, Nudipedalia, & imprimis Februa piamina ita fervebant ejusmodi naniis, ut non longe abessent ab insania. Atque adeo vetus Græcia & Roma in hoc posuit cardinem expiationis, ut qui sanctimoniam appetentes purgari vellent, statuas, signa atque adyta Deorum, sive certi essent sive incerti, salutarerent, currendo & deambulando venerarentur, atque omni lustrationis genere usi, iram Deorum se tandem effugisse maculasque animo omnes abstersisse crederent.

1) Hinc *Lomeyer* de lustratione gentilium scripsit.

2) *Virgil.* Ge. II. 487.

§. III.

Cæterum has comædias aut potius flagitia primi doctores Christiani 1) divinitus cæperunt explodere, meliorque hominum pars detestari, ita ut res Christiana indies magnum caperet incrementum. Quo factò superstitione maximam partem collapsa, conciliis porro habitis 2) reliquias abolere, ejicere turpitudinem atque labem eluere studuit sancta antiquitas, ipso *Constantino M.* & successoribus ultimam addentibus manum. 3)

1) Tales doctores recenset *Fabrieius* in bibl. antiqui. c. 8. §. 14.

2) Quale fuit *Eliberinum* in Hispania Sec. IV.

3) De his vid. *Fabricii* lucem Evangel. c. 12. & 13. ubi, quid actum sit, pluribus exponit.

§. IV.

Verum enim vero lustrationibus barbarorum abolitis aliam in Christiano orbe successerunt, non tam ornantes religionem quam depravantes, easque necessario Pontificii tumentur ac mordicus defendunt, quoniam majores cupide repetiverunt ejecta, & ex hisce quisquiliis aurum se collegisse, meliori imitatione proposita, dictitarunt. Multus est in hac re probanda *DVRANDVS*, cui aquam affundit *BEDA*, 1) qui *superstitiosas, ait, lustrationes bene mutavit Christiana religio, cum mense Februario dicim S. Maria plebs universa cum sacerdotibus ac ministris, hymnis modulate vocis per ecclesias perque congrua urbis loca procedit.* Taceo alia.

1) De nat. rer. c. 12. Add. *P. Vergilium, Gerbardum L.* de Ecclesia. *Hunnium* de apostas. Eccles. Rom. *Walpurger* de conformitate Echnico-Pontif.

§. V.

§. V.

Nolo hoc loco omnis generis imitationem commemorare: praefecturas Sanctis super certis vitæ generibus ac negotiis assignatas: 1) statuas, signa, ritus ac cerimonias infinita multitudine adornatas; 2) cum de *Peregrinatione religiosa* a Romanis petita 3) & a Pontificiis magno studio exercita quædam dicere mihi sit propositum.

- 1) Ex RAINAVDO talia collecta invenies in *Fabricii* Luce Evang. p. 265.
- 2) V. MOLINÆVS in neu aufgekommnen Pabstthum. MVSHARDVS.
- 3) De Process. gentil. vide ANTONII diss. de Process.

§. VI.

Scilicet cum post Christum natum invaluisset opinio & fiducia bene merendi: cœperunt religiosi isti mortales deflectere & peregrinando quærere lustrationem, id est, expiationem, & in hac veniam delictorum; nihilque magis sibi congruum putabat credulum seculum, quam si Palæstinam inviseret, terram Christi vestigiis illustrem, ubi praesepia, Thabor, Jordanem, Olivetum, pratorium Pilati, Golphatha ac sepulchrum Christi posset salutare, osculari, adorare; idque jam a Constantini temporibus increbuit, bellis sacris est firmatum, & nostra quoque tempestate eodem ingenio continuatur. 1)

- 1) Quanta veneratione consecrata ista petantur loca, quidve emolumenti inde sperent peregrinatores, docent TROILO, BVNTINGIVS, TAPPER & MTLER, Jesuita in tr. *Peregrinus* in Jerusalem. Norimb. 1735. 4.

§. VII.

Eminet inter ea GOLGATHA, five *Mons Calvaria* 1) a calvitie craniorum ita dictus, atque ita eminent, ut totus occidentis variis locis cœperit excitare similem montem. Ad Palæstinam quod attinet, duæ in hoc monte constructæ sunt ædiculæ, una, ubi Christus cruci est affixus, altera, ubi crux fuit erecta.

- 1) V. BVNTINGII itin. S. S. P. II. p. 68. ex edit. Leucfeldii.

§. VIII.

Mirum est dictu, quanta sanctitatis specie hæc adeant loca viatores. Nam si ad primam procedunt, hunc canunt hymnum:

1. *Vexilla regis prodeunt, fulget crucis mysterium, quo carne carnis conditor suspensus est patibulo.*
2. *Quo vulneratus insuper mucrone diro lancea, ut nos lavaret crimine, manavit unda sanguine.*
3. *Impleta sunt, qua concinit David fidei carmine, dicens, in nationibus regnavit a ligno Deus.*
4. *Arbor decora & fulgida, ornata regis purpura, suscepit hic qua Domini corpus, flagellis lividum.*
5. *Beata cujus brachiis seculi pependit pretium, statera facta corporis pradamque tulit Tartari.*
6. *O crux: Ave, spes unica! hic Christi tendens brachia auge piis justitiam, reisque dona veniam.*
7. *Te summa Deus Trinitas collaudet omnis spiritus, quos per crucis mysterium salvas, rege per secula. Amen.*

Hic omnes  
osculantur  
terram.

Ad alteram si accedunt, canere pergunt hoc modo:

1. *Lustris VI. qui jam peractis tempus implens corporis, se volente, natus ad hoc passioni deditus agnus in crucis levatur immolandus stipite.*
2. *Hic acetum, fel, arundo, sputa, clavi, lancea mire corpus perforatur sanguis unda profluit, terra, pontus, astra, mundus quo lavantur flumine.*
3. *Heu! Salvator mundi pendet in crucis patibulo; membra dire lacerata virgo mater aspicit. Hinc precamur, nobis pater, des felicem exitum. Amen.*

Sub anti-  
phona  
osculantur  
terram.

Addunt Antiphonas, oscula, preces, cum Ave Maria, exutisque calceis præsto sunt. Utraque in cella omnium peccatorum veria ipsis datur. En fructus lustrationis maximos, sed imaginarios. 1)

- 1) Sub monte Calvarie sunt sepulcra Godofr. Boullionei & fratris Balduini. Priori hæc verba sunt insculpta: *Hic jacet inelytus Dux Godefridus de Boullion, qui totam istam terram acquisivit cultui Christi, cujus anima requiescit cum Christo, Amen.* MTLLE RVS Libr. cit.

§. IX.

Cum vero non omnibus in Occidente contingat adire montem Calvarie in Palæstina: subvenerunt necessitatibus credulorum Pontifices & Episcopi, ita ut signum hujus montis ubique locorum constituendum curarint, quod adire possent viatores  
ad



ad crimina expianda, certa spe freti, se gratiam Dei hac via sibi conciliaturos.

§. X.

Non longe abierimus. Anno MDXI. ERNESTVS AE. Magdeb. liberalis fuit in promittenda tam Magdeburgensibus quam aliis venia, qui lustrationis causa *Montem Calvarie in Schrottorf* prope muros Magdeburgi peterent. Exemplum literarum infra scriptum est.

*Indulgentie transitus ad Montem Calvarie in Schrottorf prope  
 & extra muros civitatis Magdeburgi.*

ERNESTVS Dei & Apostolice sedis gratia S. Magd. Eccl. AE. Primas Germanie, Universis & singulis presentes literas nostras inspecturis Christi fidelibus salutem & caritatem in Domino. Piiis & sinceris fidelium votis que in laudem Dei cultusque divini augmentum atque in animarum salutem perpetuo tendere dinoscuntur, alacrius intendimus eosque propensus favoribus prosequimur opportunis. Supplicationibus ergo devotius nostrorum in Christo fidelium dilectorum provisorum curie sive Capelle S. Jacobi majoris in Schrottorf prope & extra muros civitatis nostre Magdeburgi favorabiliter inclinati, qui ut asserunt, pio Zelo devotionis contenti in memoriam recolende passionis Domini nostri Jesu Christi transitum eiusdem Salvatoris, quo crucem humeris suis bajulans pro nobis peccatoribus a loco iudicii usque ad montem Calvarie, ubi mortem acerbissimam ob salutem nostram subiturus ire non dubitavit, prope & extra muros civitatis nostre prefate certis passibus designatum signis ac tabulis, prout de more in plerisque locis aliis fieri solet ibidem positus descripserint & figurari procuraverint, Nos ob reverentiam Omnipotentis Dei atque salutifere passionis ejus memoriam in piorum cordibus hominum crebro excitandam, nec non ob precipuum prefatorum exponentium sincere devotionis affectum, Omnibus & singulis Christi fidelibus vere penitentibus & confessis aut in gratia Dei existentibus, qui singulis sextis feriis atque diebus dominicis per totum anni circulum, insuper in singulis festivitatis b. Marie V. nec non in ebdomada sancta palmarum, diebus singulis passionis & iterum in festis pasche, pentecostes & eorum octavis, ascensionis & nativitatis Domini, in quartis feriis IV. temporum & festivitatis sanctorum Philippi & Jacobi, Jacobi Maj. ceterorumque omnium Apostolorum ac dedicationis curie ejusdem, Marie Magdalene atque Michaelis, devotionis & orationis causa predictum locum designatum accesserint, & ibi de cordis sui devotione in memoriam passionis Domini coram qualibet figura illic exposita & per passus quosdam divisa tria pater noster ac totidem ave Maria in honorem V. vultnerum Christi dixerint, de O. Dei misericordia ac bb. Petri & Pauli App. autoritate, nec non S. Mauriti & sociorum ejus nostrorum Patronorum meritis confisi, XL. dies indulgentiarum de injunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In quorum fidem & testimonium sigillum nostrum presentibus literis nostris perpetuo tempore duraturis est appensum. Datum Magdeburgi in aula nostra Aepali anno Domini MDXI. die sabati ultima mensis Maji.

J. Schrot.

- 1) Schrottorff a Schröda torrente nomen habens pagus, fuit situs prope portam Magd. Schrottorff. & desolatus tempore belli Smalcaldici aut rustici. Nunc hortus in parte areæ dicti pagi est extructus, ante *Trummels* nunc *des Herrn Obrist Beauvoardin Garten* dictus.
- 2) Non fuisse montem Schrottorffii, sed figuras ac tabulas aliquot, docent Ernesti literæ.

§. XI.

Heu! temporum tristitiam, cui nos merito, *Surgite, Christus non est hic*, opponimus. Operæ pretium est videre, qua ratione hæ literæ vestigia antiquissimæ Romanorum & Græcorum superstitionis referant.

I. Indulgentiæ transitus. Sane *lustratio veterum sive expiatio per ambitum fiebat*. Unde *lustrare est* πεισιέγγυ. *Δαυ.* Hinc ista, πέμπειν, πειπέθειν apud veteres, cui rei conjuncta erant metonymice ista, αἰτιάσειν, καὶ δαξιέσειν, reatum tollere. Hinc sacer circuitus, supplicatio publica, circumlatio, sacer comitatus. v. LOMEIER de *Lustr. Gent. c. 1.* & P. ANTONII *diss. de process. gentil.*

II. Pius fidelium votis & supplicationibus favorabiliter inclinati. *Fluxere ista ex Romanorum nuncupatione votorum, que statuta erant & extraordinaria, qualia multa Livius habet. Hinc Aneas apud Virgil An. 6.*

*Tum Phæbo & Trivia solido de marmore templa  
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi,*

*Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.*

III. Tabulis ibidem positis descriperint. Huc refer templorum & rerum locorumque sacrorum terminationem, dedicationem & consecrationem apud Romanos. Lomeier c. 28.

IV. Dedicationis curiæ ejusdem. Repete qua modo dicta sunt n. III.

V. In memoriam Domini, nec non festivitatis Mariæ, apostolorum Philippi, Jacobi, M. Magdalena, Michaelis. *En mixturam! Ita Romani Deos summos, medioximos, conjunctos, certos, incertos, omnemque θεογένειαν referebant ad θεὸς καὶ δαξιέσεις.*

Lomeier c. 4. Ita Aneas conjungit Deos:

*Esto nunc sol testis & hæc mihi terra precanti,*

*Quam propter tantos potui perferre labores,*

*Et pater omnipotens, & tu Saturnia Juno,*

Jam

*Jam melior, jam Diva, precor, tuque inclyte Mavors,  
Fonsisque fluviosque voco. Virg. Æn. 12. Briff. de form. c. 1.  
Sexcenta alia lubens prætereo.*

VI. Pro qualibet figura & per passus quosdam divisa, tria Pater Noster ac totidem Ave Maria dixerit. *Quis hic non videt repetitas veterum nugas, ululatum & βαττολογίαν? Verba scilicet inconsiderata, multiloquium, Φλυαρίαν, λεπτολογίαν, ἀδολεσχίαν. Παράχων s. ranarum querelam, quorum omnium fons erant Deorum credite occupationes, absentia, dubitatio, quis in aliquo casu esset adorandus? Unde tituli magnifici, elogia, verborum firmata, crebra repetitio sunt nata. Atque hinc Poetam in Comædia iratum audio dicere:*

*Ohe, jam desine Deos uxor obtundere,  
ut nil credas intelligere, nisi idem dictum est centies. vid.*

Stollbergii *diff. de βαττολογία in Thesauri Theol.-Phil. P. II. p. 112. Bibl. Brem. Class. II. fasc. 4. p. 612 & Class. VII. fasc. I. p. 62. Chemnitii, G. & L. Harmoniam Ev. ad Matth. VI. 7. T. I. c. 51. 470. Lomeici c. 33. Hildebrandi rit. orant. p. 55. f. Casauboni Exercit. Anti Baron. XIV. p. 8. Wolfii Cent. XII. p. 402.*

VII. Petri & Pauli Apostolorum autoritate, nec non Mauritii & sociorum ejus meritis confisi. *Vestigia hujus rei multa invenies apud Livium. Etiam leges XII. Tabb. hoc volunt: Separatim nemo habesit Deos, neve novos sive advenas, nisi publice ascitos, privatim colunto. Similia leguntur apud Tertull. in Apolog. c. 5. & Euseb. H. E. L II. c. 2.*

Summatim ut dicam, plenæ sunt Ernesti literæ supervacaneis religionibus & alienis superstitionibus, quibus Magdeburgenses, meliora docti, fores merito occluserunt,

§. XII.

Sed ne quis existimet, solum Schrottorffium habuisse, quo Magdeburgenses vicinique concurrerent lustrationis causa; cumque ipse Ernestus dixerit, plerisque in locis aliis de more id fieri solere: coronidis loco addam literas ejusdem argumenti, Neo-Hallenslebiis ab eodem AE, anno M C C C C X C I X. datas.

B

In

*Indulgentie transitus & fundationis Capelle in monte  
Calvarie prope Haldensleve:*

**ERNESTVS** Dei & Apostolice sedis gratia AE. S. Magd. Primas Germanie & Halberstadensis Ecclesiarum administrator, dux Saxonie, Landgravius Thuringie, ac Marchio Misne, universis & singulis Christi fidelibus presente literas inspecturis salutem in Domino sempiternam. Pius & sinceris fidelium votis, illis tamen potissimum, que in laudem Dei cultusque divini augmentum accedere dinoscuntur, quibus salus provocari speratur animarum alacrius intendimus eaque propensus prosequimur favoribus opportunis. Supplicationibus igitur perdevotis providorum virorum fidelium nobis dilectorum Consulum oppidi nostri Haldensleve Magdeburgensis nostre diocesis favorabiliter inclinati, qui, ut asserunt, bono Zelo devotionis ducti, in memoriam passionis recolende Domini nostri Jesu Christi, transitum ejusdem nostri Salvatoris, quo crucem humeris suis bajulans pro nobis peccatoribus a loco judicii usque ad montem Calvarie mortem amarissimam suscepturus ire non dubitavit, prope & extra muros presati oppidi certis passibus designatum signis & tabulis effigiatis inibi prout de more positus descripserint & figurari procuraverint, Nos ob reverentiam omnipotentis Dei ac salutifere passionis ejus memoriam crebro excitandam, nec non ob prefatorum exponentium sincere devotionis affectum, omnibus & singulis Christi fidelibus vere penitentibus & confessis, qui singulis sextis feriis atque dominicis diebus b. Marie virginis, nec non in ebdomada post palmarum singulis diebus passionis & in diebus pasce, penthecostes, ascensionis atque nativitatis Domini devotionis & orationis causa prefatum locum designatum accesserint & ex cordis sui devotione in memoriam passionis dominice coram qualibet figura ibi reposita V. Pater Noster & totidem Ave Maria cum uno symbolo fidei dixerint, totiens quotiens id fecerint, de omnipotentis dei misericordia ac bb. Petri & Pauli apostolorum autoritate, nec non S. Mauricii & sociorum ejus nostrorum provisorum meritis confisi XL. dies indulgentiarum de injunctis eis penitentis misericorditer in Deo relaxamus, in quorum fidem & testimonium sigillum nostrum presentibus literis nostris est appensum. Date in arce nostra Wolmersted, die Mercurii XVI. mensis Februarii, a. Domini M CCCC XCIX.

§. XIII.

Hæc de Pontificia pietate, discurrentium per montes, campos & valles lustrationis gratia; neque enim plura aut alia hujus generis hoc loco attingam. Mirum, si cui non veniat in mentem illud Virgilitii:

*O, ubi campi, Sperchinsque*

*O, qui me gelidis in vallibus Hemi sistat.*

*Fortunatus & ille, Deos qui novit agrestes,*

*Panaque, Sylvanumque senem, Nymphasque sorores.*

Unum

Unum addo. Veteres antiquam supelleſtilem maximo in pretio habebant, & ſigna antiquiſſima tanto venerabantur ſtudio, ut in vetuſtate religionem ponerent. \*

\* In annalibus veterum, Tullii nempe, Strabonis, Mele, Athenai, Eliani, Dionis, Gellii, frequenter legimus oſſa gigantum, arma reliquamve Heroum ſupelleſtilem vel memoriam, belluarum membra, victoriarum premia, gemmas, torcumata ſigna, tabulas, ſimulacra deorum, thuribulum, aliaque ornamenta; quibus vel Deorum templa, vel pratoria principum, vel elegantiorum hominum atria paſſim exornabant.

Hinc Poeta:

*Reliquias, veterumque vides monumenta Virorum.*

Etiam hoc: *Linea, qua veterem longe fateatur Apellem.*

v. Spanheimius de præſtantia & uſu numiſm. diſſ. I.

Quid Pontificii? Etiam his cæpit antiquitatis memoria arri- dere, animosque eorum imitatio ita occupavit, ut ſempiternos virtutis divinæ teſtes putarent antiqua monumenta. Curioſi igitur Pontifices, gnavi Epifcopi & Præfules, ut templa, aras, clauſtra variis iisque partim ridiculis implerent reliquiis. Et ne prolixior ſim, Albertus etiam, AE. Magdeburgenſis in locupletiffimo ſuo theſauro aſſervabat particulas aliquot ſaxeï montis Calvariæ, 1) ne Magdeburgenſi agro deeffet in ullo genere ſolatium, anchora ſalutis, bonæ ſpei meta; aut ut verius dicam, opinionum cumulus, bonarum mentium charybdis.

1) v. Vorzeichnuß und Zeeignung des hochlobwürdigen Heiligthums der Stiffts Kirchen des H. Sanct Moritz und Magdalenen in Halle, p. 9. 36. 40. 49. Edit. Halle 1721.

### Apoc. I. 5. 6.

τῶ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, καὶ λῶσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ θεῷ καὶ παρῆι αὐτοῦ. αὐτῷ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰῶνων, ἀμήν.

B 2

Die

Die XII. Aprilis, hora III. P. M.

Aliquot honesti perorabunt juvenes, e quibus V. & VI. abitum ad academiam, quod Deus felix faustumque esse jubeat, parabunt, cursu scholastico feliciter & eum laude absoluto.

Verba autem facient de veterum superstitione hoc modo:

- I. *LEVIN de BARBY, Loburg.* de Pontificum apud Romanos inauguratione. Pr. G.
- II. *G. G. HVTSCHENREVTTER, Magd.* de circuitione ad loca consecrata. Pr. L.
- III. *CHR. U. TRAVMANN, Magd.* de lustratione & aqua lustrali. C. G.
- IV. *FRID. EB. BOYSEN, Halberst.* de battologia barbarorum, Pr. L.
- V. *FR. JUL. SPEKHVN, Magd.* de signis & simulacris publicis. Pr. Lat.
- VI. *S. H. CALVISIVS, Magd.* de unctionibus sacris. Pr. & V. L.

Quos ut benevole audiatis, Mæcenates atque rei scholasticae fautores, est quod ea, qua par est, veneratione & observantia peto & contendo. Magd. a. d. X. Apr. a. M D C C XXXVII.



Pou Yd 28, Ok

ULB Halle


3

003 551 539









R. N. 136, 28.

Yd  
28

# MONS CALVARIÆ

PROPE MVROS

## MAGDEBVRGI,

EX

ANTIQVITATE ERVTVS

A

SAMVELE WALTHERO, R.

MAGDEBVRGI  
LITTERIS GODOFREDI VETTERI clb lccc xxxvii.

11. 723.

